



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Externis Regulis Amoris Et Morum, Legibus Utique, ac Præceptis
Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiae -
Libros Vndecim Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput XII. Casus, in quibus conceditur restitutio in integrum, non obstante
præscriptione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73203)

CAPUT XII.

Casus, in quibus conceditur restitutio in integrum, non obstante prescriptione.

Restitutio in integrum est remedium juris, quo amissum per prescriptionem rei dominium auctoritate Judicis recuperatur.

Conceditur 1^o. minoribus, sive iis qui necdum expleverunt vigesimum - quintum ætatis annum, non obstante longissimi temporis prescriptione, etiam dum eam potuerunt impedire, nec ulla ex parte ipsorum ignorantia intercessit. *L. unica C. si adversus ufucap. & L. ult. C. de restitut. in integr.*

2^o. Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, aliisque piis locis, quæ in hoc sunt instar minorum. *cap. 1. & 2. de restitut. in integr. in 6.*

3^o. subinde etiam conceditur majoribus, saltem adversus prescriptionem 10. vel 20. annorum (de prescriptione namque 30. annorum Doctores non conveniunt) allegatâ legitimâ causâ interruptæ possessionis, v. g. si quis Reipublicæ causâ abfuerit, vel apud hostes captivus fuerit. *L. ult. ff. ex quib. caus. majorib.*

Ut autem beneficium istud minores obtineant, necesse est, ut à primo die inchoatæ ætatis 26. annorum, restitutionem petant coram legitimo Judice; majores autem intra spatium 4. annorum, ex quo sciverint bona sua esse præscripta, restitutionisque remedium petere potuerint. *L. ult. cit.*

CAPUT XIII.

Declaratur alius dominium acquirendi modus per contractum.

Per varios contractus dominia transferri, manifestum fiet per ea quæ dicturi sumus de contractu mutui, venditionis, &c. Sed ante omnia exhibenda est contractus definitio ac divisio. Contractus itaque tripliciter accipitur, latissime, late, & strictè. Latissime sumptus, idem est quod pactum. Quod *L. 1. ff. de pactis* definitur, *duorum, pluriumve in idem consensus*, externo utique signo ad invicem expressus, sive cum obligatione, sive absque ea, uti contingit in donatione. Late sumptus est *pactum obligationem pariens altera solum ex parte*. Tale pactum est promissio gratuita, quæ obligationem nullam inducit in promissario, sed in solo promittente. Strictè sumptus est *pactum utraque ex parte obligationem pariens*. Unde ab Ulpiano *L. Labeo ff. de verb. signif.* definitur, *ultrò citròque obligatio*.

Contractus strictè sumptus dividitur primò in nominatum & innominatum. *Nominatus* est ille, qui habet proprium ac specificum nomen, ut sunt quatuor isti: *Do ut*

Zz 2

probant fundamenta assertionis nostræ.

161 Quod si præterea objicias, decimum hæredem (ut sanctus Petrus Damianus refert) monitum fuisse de restituendo castro, quod novem ex prædecessoribus ipsius pacificè possederant. Respondeo, si hoc verum est, idè factum esse, quia castrum istud legitime præscriptum non fuerat, sive ob defectum bonæ fidei, sive ob aliam causam: si enim legitime præscriptum fuisset, restituendum non fuisset: utpote legitime acquisitum. Cum vel ipsi Reges, unus alterius, jure gentium præscribere possint, non solum castra, sed & provincias, principatus, & regna integra, per multorum annorum seriem à Majoribus suis accepta, esto inter eos aliqui ea injustè acceperint. Quàm longa annorum series ad id necessaria sit, præcisè definiri non potest: quòd tamen successores eorum, qui principatus aut regna injustè occuparunt, titulo talis successione, jure gentium fieri possint justii possessores & domini eorum, constat ex Romano Imperio, quod non sine magnis olim latrocinii in tantam surrexit magnitudinem; & nihilominus à piissimis postea Imperatoribus, sine conscientia noxa, non solum possessum & administratum, sed & à Christianis; imò & à sanctis militibus defensum, & Sanctorum orationibus firmatum fuit, etiam dum ab Ethnicis adhuc Imperatoribus regeretur. Hoc est enim quod sibi vult illa Dionysii apud Æmilianum Præfectum oratio (cujus meminit Eusebius lib. 7. Histor. cap. 10. *Sine intermissione pro eorum (Valeriani, & Galieni Imperatorum) regno, ut stabile & firmum maneat, preces adhibemus*. Hoc est etiam quod significat Tertullianus in Apolog. cap. 30. *Precentes sumus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tuam, exercitus fortes*. Sciebant utique Sancti, latrocinia illa beneficio prescriptionis (jure gentium, pro regnorum, Rerumpublicarumque communi pace ac stabilitate introductæ) obliterari posse. Et quomodo alioqui hodie in conscientia tuti esse possent Reges ac Principes, quorum Majores ac Prædecessores majori jure Romanum non invaserunt Imperium, quàm Romana Respublica cætera invaserat, prostraverat, protriveratque Imperia? Et quàm pauca hodie regna invasionis periculo non forent exposita, eo prætextu quòd hodie non minus injustè à suis possessoribus occuparentur, quàm olim ea occupaverant eorum invasores? Maneat ergo certum, tutâ post prescriptionem conscientia possideri dominia, quæ ante prescriptionem fuerunt aliena. Aliàs pauci essent Reges, quos Ecclesia monere non deberet de obligatione abdicandi dominia & regna à suis prædecessoribus taliter acquisita.

Tom. II.